



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. IV. Pisauren. majoratus. De eadem materia, An scilicet in Majoratu
attendi debeat prærogativa atatis vel illa lineæ, & concluditur pro
prærogativa ætatis. Erecto principali Majoratu super ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

proximiores Thomæ & Joanni Baptistæ ultimò defunctis, à quibus Joannes Benedictus & Augustinus erant remotissimi per 14. vel 15. gradus civiles. quamvis quoad testatorem essent æquales, ex hodie receptissima propositione regulandi proximitatem à persona gravati magis quam gravantis.

Attamen ultra limitationem quæ dictæ regulæ tradi solet, & de qua *apud Merlin. decisio 520. numero 11 cum sequent. aliàs decisio 519 part. 5. rec.* de attendenda magis proximitate gravantis, quando fit novus transitus de uno genere personarum ad alterum, sive de uno ad alterum substitutionum gradum, super quo motivo parum insistebam ob plures declarationes, quas dicta limitatio patitur, ut pluries infra occasione agendi de hac materia proximitatis magis gravati quam gravantis vel e contra, præsertim in *Romana fideicom. de Victoris disc. 23.* Ponderabam utram considerationem cessare ex eodem principio, quod non ageretur de successione uni potius in alterius exclusionem defendenda, sed ageretur solum de administratione juris competentis omnibus constituendis unum corpus individuum, seu quamdam speciem Collegii absque distinctione linearum vel graduum, ut in proposito excludendi terminos reciproca linearis, ac difficultates in ea cadentes super successione ad portionem unius lineæ defectæ in iuris vel bonis, de ipsorum natura, vel ex testatoris voluntate individuis, ponderatur infra in *Romana palatii de Capranica disc. 106* & conferunt quæ habentur in *Mutinen. feudorum de Rangonis sub tit. de feudis disc. 8.*

Et quoad contrariam observantiam, quod scilicet hoc jus referat in linea Simeonis, & non in altera Nicolai, facilis videbatur responsio, quod id proveniebat à prælatione lineæ masculinæ per testatorem prius vocatæ ac prædilectæ ob decorem agnationis & familiæ, sed cessante ista circumstantia, cum concursus esset inter omnes æquè cognatos, ac de diverso genere, intrabat nunc ex integro quidam nonus ordo in diverso genere habente in omnibus jus cœquale in distributione passiva, à qua jus activum tanquam ut supra inter plures unum corpus seu unum collegium constituentes regulari debere credebam; Et consequenter observantia in uno casu quandam peculiarem rationem habente non influit in alterum diversum, ac habentem diversam rationem.



PISAUREN. MAIORATVS

PRO
COMITE HYPPOLITO

CVM

MARCHIONE FRANCISCO MAR
DE SANCTINELLIS.

*Casus decisis per Rotam pro Comite
Hyppolito.*

De eadem materia, An scilicet in Majoratu attendi debeat prærogativa ætatis vel illa lineæ, & concluditur pro prærogativa ætatis.

Erecto principaliter Majoratu super aliquo castro vel alia re conspicua, ac in aliis prædiis & bonis accessorie seu contextivè annexis, si casus præbeat, ut casus præter voluntatem testatoris alteri deferatur, An remaneat majoratus in aliis bonis.

S V M M A R I V M.

- 1 **F** Acti series.
- 2 Resolutiones causæ.
- 3 De opinione Alexan. & sequacium, ut in majoribus Italia attendatur solum prærogativa ætatis.
- 4 Admittitur hæc opinio ex voluntate testatoris.
- 5 De conjecturis, & circumstantiis, ex quibus illa voluntas resultat.
- 6 An, ubi agitur de Castris, & bonis jurisdictionibus major ætas attendi debeat.
- 7 Consideratur, An dispositio concepta sit lingua Latina vel vulgari.
- 8 Attenditur item, an testator consideraverit necesse distinctionem linearum.
- 9 Vbi majoratus principaliter institutus est super aliquo re conspicua, & accessorie super aliis bonis, a dicta re cessante cesset dispositio in aliis.

D I S C. I V.

Comes Petrus Antonius de Sanctinellis dominus Castri Metulæ, plures habens filios, diversis dispositionibus, ac perpetuo successivo & reciproco fideicommissio inter eos ordinatis, hæc specie disposuit, ut semper & perpetuo castrum prædictum esse deberet filii vel descendenti masculi ætate majoris, qui ejus Gubernator ac dominus in vita esse deberet, quodque ille qui esset Comes & dominus castri, haberet pariter in via dominium ac fruitionem quorundam aliorum prædiorum intra ejusdem castra limites & alibi respectivè existentium; Mortuis autem pluribus ex dictis filiis absque prole, atque durantibus tantum beneis Palmerini & Francisci Mariæ qui prolem habuerunt, Castrum prædictum unà cum aliis bonis ut supra obvenit in Alexandrum dicti Francisci Mariæ filium natu majorem, quo defuncto, superstitite Francisco Maria juniore filio.

iste curavit obtinere à Duce Urbini novam investituram de dicto Castro tanquam ex delicto dicti Alexandri vel alterius majoris devoluto; Ortaque controversia inter eundem Franciscum Mariam & Hyppolitum dicti Palmerini ex Antonio filio nepotem ætate majorem; Et introducta causa in *Rota coram Emerico*, quamvis controversia æquè percuteret castrum, ac alia bona, cum omnia caderent sub eadem inspectione, Attamen de Castro actum non fuit, cum Franciscus Maria possessor expulset evocare Cameram ad ejus defensionem ratione dictæ novæ investituræ, cujus cognitio ad ipsum Tribunal Cameræ spectare debebat, ideoque disputatio restricta fuit ad dicta alia prædia & bona, super quibus assumpta disputatione super manutatione, ac dilata resolutione, dum frequenter prædicto rescripto, ut *videretur de bono jure*, super hoc sub die 21. Maij 1663. prædiit resolutio Hyppolito natu majori favorabilis, ad cuius normam expulset sententia, & commissa causa appellationis in eadem *Rota coram Tassa*, sub diebus 27. Junij 1664. & 16. Januarii 1665. pro dictæ sententiæ confirmatione responsum fuit, idamque sequutum in tertia instantia in eodem Tribunali *coram Bonlesmon*, præviis duabus decisionibus 26. Junij 1665. & 28. Junij 1666., unde causa finem habuit.

In his autem disputationibus, seu in earum primis, (cum in aliis, posita jam causa in bono statu, litigantes, quibus est commiserandum, soleant majores Advocatorum expensas effugere) Duæ fuerunt inspectiones, Una generalis conveniens tam Castro, quam aliis bonis, totique majoratui, An scilicet in eo attendenda esset prærogativa lineæ, in quam bona jam ingressa erant, vel prærogativa ætatis; Et altera, posito quod Castrum exisset à bonis ac dispositione testatoris ob præsentium devolutionem, unde possideretur per Franciscum Mariam tanquam tertium & extraneum ex diverso titulo novæ investituræ, An cessasset dictus majoratus etiam in aliis bonis utpotè accessoriè ad ipsum Castrum sub dicto majoratu positus, itaut dispositio evanuerit, ut ex parte dicti Francisci Mariæ possessoris Castri prætendebatur.

Quo ad primam, quamvis Rota in dictis decisionibus simpliciter processisse videatur cum auctoritate *Alexandri conf. 4. lib. 4.*, qui antesignanus videtur opinionis, ut in Majoratibus Italia differrentibus à primogenituris, ac Majoratibus Hispaniæ attendatur sola prærogativa ætatis, non curata illa lineæ, in quam præsertim bona ingressa essent, & consequenter quod locus esset saluarationi de seniore in seniore, Attamen cum non ageretur de simplici administratione ad omnium utilitatem, itaut majoratus restringeretur ad solam præminentiam, sive jus intellectualem tantum, sed ageretur de formali successione deferenda uni privativè ad alios; Mihi tamen quamvis scribenti pro d. Hyppolito natu majori obtinente, atque more Advocati dictam Alexandri & sequacium opinionem tuenti, talis opinio ita simpliciter ac indefinitè sumpta non placebat ex fundamentis & rationibus, de quibus supra in *Muinen. disc. 1.*

Athuc tamen ex particularibus facti circumstantiis, reflectendo etiam ad solam veritatem, justæ benèque fundatæ visæ fuerunt dictæ resolutiones ratione voluntatis testatoris, quæ videbatur clara, & qua concurrente, cessant omnes quæstiones & ambiguitates, procedentes solum ubi illa est dubia & incerta, dum enim ista non est quæstio juris vel potestatis, sed solum facti & voluntatis, ista totum facit, ut advertitur in eadem *Muinen.*, etiam in casu sim-

plicis majoratus improptii, ac administratorii magis quam successorii.

Plura verò hujusmodi voluntatem suadere videbantur, quod scilicet testator non habuerit in animo distinguendi lineas ab ipsis filiis discretivè constituendas, sed consideraverit omnes descendentes tanquam unum corpus seu unum collegium constitutum ex unica linea ipsiusmet testatoris, ac propterea tanquam in concursu æquali primatum obtineret ille, cui pro tempore præbebat natura majoratum, & quæ adminicula, ubi etiam singulariter & de per se considerata, suas habere possent responsiones ac parti difficultates, attamen insimul unita cum consueta regula, ut *singula que non prosunt &c.* benè concludere videbantur.

Primo enim concurrebat qualitas bonorum, quod scilicet ageretur de castro jurisdictionali exigente administrationem justitiæ ac regimen vasallorum, unde intrat ratio prudentiæ, ob quam ætati potius quam lineæ deferendum est, ut in specie firmant *Berous. conf. 71. lib. 1. Honded. conf. 70. lib. 2. Maluas. conf. 22. Gratian. discept. 695.*, in quibus, præsertim in prima decisione *coram Emerico* fundamentum constituitur; Et quamvis istud adminiculum de per se ac abstractè consideratum pro meo judicio nullius, vel levissimi ponderis videatur, Quoniam etiam in Regnis vel feudis Dignitatis jure Regni regulandis, ac etiam in majoratibus Hispaniæ longè major concurret administratio, & tamen hodie extra quæstionem est, deferendum esse lineæ; Ac etiam quæ *Honded. Gratian. & ceteri ubi supra* loquuntur de feudo dividuo, cujus dominium ac utilitas sit penes omnes descendentes vel agnatos, commisso solum majori natu exercitio administrationis nomine omnium, juxta illum improptium majoratum, de quo infra in *Urbevetana disc. 6.*, & sic dictæ auctoritates verè erant extraneæ ac casu, Attamen in hac facti specie, stante qualitate castri ac more regionis, videbatur quod id præstaret aliquod adminiculum, de per se non operativum, sed benè cum tot aliis unitum.

Secundo in idem, quia testator expressè dixit majorem natu esse debere Castri Governatorem, & sic respexit principaliter ad gubernium & administrationem ratione prudentiæ regulariter præsupponendæ in seniore; Tertio quia expressit tempus vitæ, qui non est congruus & consuetus loquendi modus in fideicommissis & primogenituris; Quarto quia in casu quo ætate major non esset mentis compos, seu aliàs habilis ad gubernium, vocat alium proximiorè habilem, cum obligatione suppeditandi certum quid majori natu inhabili, unde respexit principaliter ad intellectum; Quinto fortiter, & tanquam per speciè claræ probationis juxta regulam textus in *l. ille aut ille ff. de legatis tertio*, quod testator non vocavit majorem natu simpliciter, unde propterea caderet dubitatio, an hunc terminum pro synonymo habuerit cum illo primogeniti, sed prospexit ad tempus, seu ad ætatem naturalem, ibi, *Quello di più tempo*, Ponderando satis referre, quod testator loquutus fuit Italico, seu materno idiomate, non autem latino facilius recipiente diversas significationes, ut de hac consideratione, an in lingua latina vel vulgari dispositio concepta sit, pro vocabulorum significatione seu interpretatione habetur apud *Rotam decis. 216. nu. 3. par. 2. rec.*, occasione disputandi, an verbum *presbyteri*, seu verbum *sacerdotis* convenite possit necne clerico in minoribus, ut beneficium sit vel non sit sacerdotale.

Et sexto demùm magnum fundamentum pro meo judicio constituebam in ipsa massa seu contextu totius testamenti, principaliter attendendo (juxta genium

de LUCA
de
tamentis
et
CVI

genium ac stylum) magis substantiam voluntatis, quam formalitatem verborum, Quod scilicet prudens testator inter omnes filios quandam divisionem ferè æqualem fecit aliorum bonorum, ita considerando, seu distribuendo lineas per singulos constituendas cum ordinatione fideicommissi reciproci & descendivi in qualibet linea discretivè; Postmodum verò in ipso castro cum annexis ita disposuit cum universa descendencia, ita absque distinctione linearum considerata tanquam unum corpus, seu unum collegium, cujus senior ex prærogativa antianitatis tanquam species Decani hanc majorem præminentiam cum utilitate haberet; Et sic non agebatur de majoratu in universa hæreditate, sed de re particulari, eo modo, quo e. g. in Capitulo vel Collegio prima Dignitas, seu Decanus habet partem duplicem seu privilegiatam præbendam.

Quoverò ad alteram partem seu inspectionem, circa quam in subsequentibus disputationibus major fuit quaestio, An scilicet, stante quod castrum jure novæ investituræ in aliam lineam sub diverso successione ordine ingressum erat, illud reliqua bona sequi deberent, non curata dicta dispositione, ex natura accessorii, ut sequi debeant illam sui principalis, vel ex regula *c. cum cessante de reg. jur. in 6.*, in quibus ac similibus generalitatibus insistebatur; Verùm reflectendo etiam ad solam veritatem, justa viæ fuerunt resolutiones, nedum ex generalitatibus, quæ ex hac parte deducebantur, ac in decisionibus habentur, præsertim super limitatione dictæ regulæ *1. xxi. in cap. cum cessante*, ut non procedat, quando effectus jam est consumatus, ac in esse productus cum similibus; Sed principaliter ex eo quod spectare oportet substantiam verisimilis voluntatis testatoris, attento eo tempore ac rerum statu, quo ita constituto in pluribus bonis, non per hoc quod casualiter aliqua ex eis insperato cessent, debet in totum dispositio cessare, sed illa sustineri debet in ea parte, in qua sustineri potest juxta ea quæ in proposito deficientis alicujus portionis vel partis bonorum latius ponderantur infra in *Fr. vana primogenitura disc. 39. Et in aliis*; Cum enim per hujusmodi novam investituram à successore affectatam, testatori injuria potius illata videatur, ita esset ex delicto reportare præmium, atque obtinere bona contra expressum ac directum defuncti iudicium; Et clarius quia dictus diversus titulus non videbatur de jure sustentabilis, quamvis de hoc actum non fuerit, sed alteri inspectioni id reservatum; Si enim vera esset regula accessorii sequi debentis naturam principalis, resultaret quod si Castrum devolutum esset ad Dominum directum qui pro se retinisset, vel alteri extraneo concessisset, ita dicta alia bona ad Dominum, vel alium concessionarium spectare deberent, contra directam voluntatem testatoris, nisi constaret de istius animo faciendi formalem unionem istorum bonorum feudo eaque efficiendi feudalia, & membra feudi, juxta deducta per *Revitum consil. 101. lib. 2.*, & pluries in sua materia *sub tit. de feud.*

M V T I N E N.

MAIORATVS DE SEGHITIIS
I N T E R

ANTONIVM MARIAM
ET HERCVLEM DE
SEGHITIIS.

Responsum ad causam.

De eadem materia, An in majoratu Italiae attendi debeat prærogativa lineæ, vel ætatis, & concluditur pro ætate.

S Y M M A R I V M.

- 1 **F** Alti series.
- 2 **D**e opinione Alexandri, & sequacium super majoratu saltuario inspecta ætate.
- 3 **D**ava etiam dictæ saltuariorum, ad hunc attendenda videtur quaedam generalis distinctio linearum.
- 4 **P**ro eo propinquo, an in casu majoratus, gremio vincat ætatem.
- 5 **V**bi constat de voluntate testatoris non esse absurdam, & an voluntas sit rationalibus non.
- 6 **Q**uomodo iudices debeant se gerere circa defunctorum voluntates & dispositiones.
- 7 **Q**uando terminus dicatur agnoscens, vel non agnoscens ad denotandam majorem ætatem.
- 8 **A**tenditur, an latine, vel vulgari sermone spositio concepta sit.
- 9 **D**e alia circumstantia, ob quam consuetudo majoris ætatis major per naturam.
- 10 **Q**uomodo istæ quaestiones majoratus decideri debeant.
- 11 **F**inis controversiæ.

D I S C. V.

Flaminus de Seghitiis, institutor ad vitam de filiabus, post earum mortem ejus hereditatem deferri voluit in primogenitum, istoque mortante in natu majorem inter ipsarum filios matulos, & sic successivè de seniore in seniore, in onere assumendi cognomen & insignia; Iplem que filiarum linea masculina defecta, vocavit quatuor ex Camillo germano fratre prædefuncto nepotes cum perpetuo successivo. & reciproco commisso generali inter ipsos, eorumque filios descendentes masculos, nullo præscripto ordine primogenituræ vel majoratus; Iste autem in quoque defectis, vocavit seniore propinquum filius testatoris, de ejus casta & familia de Seghitiis & sic successivè de seniore in seniore in perpetuum, donec dicta familia durabit; Defectis omnibus dictis lineis filiarum ac nepotum, successio delata est prius Paulo, deinde Fortuniano, deinde in Paulum juniorem prædictorum Pauli agnatis testatori sexto circiter gradu conjunctis, deinde in Paulum juniorem prædictorum Pauli Fortuniani ex Hercule fratre prædefuncto nepotem, quo Paulo defuncto, superstitite Hercule in minori ætate constituto, præensionem accepit Antonius Maria de eadem familia, sed de dicta linea, quamvis ab eodem stipite descendente testatori undecimo, & Paulo ultimo defuncto decimo tertio gradu civili conjunctus, Et introducto desuper lite in Consilio, vel alio Tribunali Martis ex parte dicti Antonii Mariæ actoris, ac ætate majoris requisitus fuit ad scribendum more Advocati ad causæ opportunitatem.

Quare constituta eadem theoricæ, de qua alia *Musinen. disc. 1.*, more scribentis ad causæ opportunitatem plena manu colligebam auctoritates foventes opinionem Alexandri consil. 101. lib. 4. super majoratum Italiae saltuariorum.